

## «INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

### *De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (15)*

#### **4.4. DE NORBERTI WEBER PERCEPTIONE MISSIONARIA**

Norbertus Weber decursū temporis, quo munere suo fungebatur, scriptis orationibusque, quas variis occasionibus habuit, saepius disseruit de cogitationibus suis missionariis necnon de aptā methodo missionariā. Hōc locō opportunum esse videtur in abbatis scripta typis impressa saltem breviter incumbere, ut eius deliberationes atque persuasiones huius thematis cognoscamus.

##### **4.4.1. De libello, qui est «Euntes in mundum universum»**

Quamvis Norbertus Weber certe iam cogitationes quasdam generales fundamentalesque habuisset, quae ad aptum modum missionis spectabant, cum munus abbatis susciperet, tamen eaedem verisimiliter clariores redditae sunt, cum iter Africanum faceret atque condiciones in ipso loco videret. Itaque eius deliberationes de hōc themate maximi momenti primo typis impressae divulgatae sunt, postquam ex illo itinere revertit.

Iam ultimum capitulum breve, quod Cyrilli Wehrmeister libro, cui titulus «Ante procellam»,<sup>1</sup> subiunctum est, ab Norberto Weber conscriptum<sup>2</sup> et huic quaestioni destinatum est. Superscriptio autem huius capituli est «De politica coloniali deque missione».<sup>3</sup> Quamvis ille textus sit vere succinctus atque brevis, tamen ibīdem iam nonnullae cogitationes apparent, quae in posterioribus scriptis amplioribus fusius disputantur atque tractantur. Magni momenti hōc in conexū est differentia fundamentalis, quam Norbertus Weber inter politicos coloniales atque missionarios vidit. Nam - ut iam primis sententiis scripsit - «*ratio politici colonialis e principio ab ratione missionarii discre-*

---

<sup>1</sup> Cyrillus WEHRMEISTER: Vor dem Sturm. St. Ottilien 1906.

<sup>2</sup> In libro Cyrilli Wehrmeister non indicatur quidem nomen auctoris, qui hoc capitulum conscripsit. Tamen nemo dubitaverat, quin ipse Norbertus Weber auctor fuisset. Suspicio autem est eum illa verba modo anonymo divulgavisse, quia illo tempore dissensiones directas cum regimine coloniali vitare voluit. - *Cfr* ex. gr. Cyrill SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2005, p. 195 adn. 443; Johannes MAHR: «Sein Reich ist zunächst auf dieser Welt». Erzabt Norbert Weber als Organisator benediktinischer Missionsarbeit. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, pp. 119 sq.

<sup>3</sup> Cyrillus WEHRMEISTER (1906), pp. 253 sqq.: «Kolonialpolitik und Mission». - Hōc capitulō solum quattuor paginae complectuntur.

*pat. Is enim finem idealem sibi posuit, quo animas immortales nigritarum pro Christianitate et pro regno Dei aeterno acquirere desiderat; politicus colonialis talia non curat, sed novas regiones mercatūs novasque habitatio- nes quaerit et ex thesauris territorii et ex viribus populi lucrum facere vult. [...] Unus nigritye aliquid dare, alter ei aliquid auferre vult.»<sup>4</sup>*

His verbis criticis tota condicio generaliter describitur, quae deinde sub variis aspectibus specialibus tractatur. Nam hōc in conexū Norbertus Weber iam mentionem facit de nigritarum educatione, quae ad laborandum spectat. Etiam hac in re satis acriter atque verbis apertis perceptionem politicorum in coloniā agentium reprehendit,<sup>5</sup> quibus opprobrio dat eos nigritye servos reddere velle.<sup>6</sup> Quem tamen scopum missionarii accipere neque volunt neque possunt.<sup>7</sup>

Imprimis necessarium est - ut abbas scripsit -, ut nigritye ita accipiantur uti sint. Quamvis Europaeis suo modo exulto non sit facile condiciones habitumque nigritarum intellegere, tamen saltem conamina intellegendi esse facienda. Cum nigritye profundū sensū iustitiae essent,<sup>8</sup> etiam maximā iustitiā eos tractandos esse.<sup>9</sup> Itaque in laboribus quōque postulandis magnā temperantiā progrediendum esse neque mensuram Europaeam adhibendam esse, sed lente procedendum esse.<sup>10</sup> Criticam satis apertam Norbertus Weber denuo protulit, cum scriberet nigritye labores coactivos percipere ut servitium, imprimis cum pro his laboribus ne mercedem quidem aptam acciperent.<sup>11</sup>

Similem temperantiam atque modestiam ac in labore Norbertus Weber etiam

---

<sup>4</sup> Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 253. - Textus originaliter Theodiscus.

<sup>5</sup> Quod Norbertus Weber hic imprimis Cārolum Peters nominatim commemorat, non est mirandum, cum huius viri indoles rigida atque superba perquam nationalistica fuerit iam illo tempore satis nota. - *Cfr* supra cap. 2.3.3.; 2.3.3.1.

<sup>6</sup> Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 253.

<sup>7</sup> Ceterum eodem loco Norbertus Weber scribit esse dolendum stuporis testimonium hominum alborum, si quis sicut Cārolus Peters putat nigritye non adduci posse, ut pacifice cum hominibus albis convivant.

<sup>8</sup> Similiter etiam ipse Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 89.

<sup>9</sup> *Cfr* Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 254.

<sup>10</sup> Hōc in conexū Norbertus Weber adnotavit se intellegere non posse, quod - ut ipse viderat - Germani nigritye in laborando saepe urgerent atque impellerent, quamquam ad talem modum nulla causa exstaret, cum nigritye sine intermissione laborarent.

<sup>11</sup> *Cfr* Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 255.

admonuit, cum ageretur de religione et de Christianismo afferendo. Nam non esse expectandum nigritas brevissimo tempore quasi sanctos fieri. Ut aliquis alicui rei assuefieret, temporis spatio indigeri. Talem condicionem unumquemque scire, qui consuetudinem quandam sibi acquirere conaretur. Tamen Norberto Weber persuasum est nigritas aliquando bonos Christianos fore.<sup>12</sup>

Sed alia quoque quaestio Norberto Weber est magni momenti, quam in illo textū tangit. Nam agitur de eruditione scholari. Vehementer invehitur in opinionem, quā dicitur eruditionem scholarem nigritarum eis esse nocivam. Abbas autem putavit eruditionem atque peritiam cogitandi esse necessarias ad vitam rationalem degendam, quae quoque esset fundamentum vitae Christianae. Itaque docentiam, quā nigritae saltem scribere, computare, legere discerent, omnino pertinere ad munus missionariorum.<sup>13</sup>

Cogitationes autem, quas Norbertus Weber hōc in textū tantummodo brevissime adumbraverat, in operibus posterioribus iterum iterumque, et quidem fusius, apparuerunt.

Maximi autem momenti in Norberti Weber scriptis missionariis est libellus, cui titulus est «*Euntes in mundum universum*». Hic libellus erat fructus itineris anno 1905<sup>o</sup> suscepti. Nam quamvis illud iter propter seditionem violenter interruptum esset, abbas tamen profundum conspectum regionis missionariae, singularum stationum, quas inviserat, modi progrediendi cultūque civilis indigenarum sibi acquisiverat. Sub fundamentum huius experientiae atque missionariae perceptionis suae generalis<sup>14</sup> Norbertus Weber illum textum conscripsit, quem «*filiis suis spiritalibus*» dedicavit. Textus ergo ex scopo suo ad usum internum congregationis spectavit. Libellus autem anno 1908<sup>o</sup> typis impressus<sup>15</sup> atque omnibus monachis Ottilia-


---

<sup>12</sup> Cfr. Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 255.

<sup>13</sup> Cfr. Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 256.

<sup>14</sup> Cogitatione suā generali, quā Ottilianis operibus missionariis artē coniungerentur vita monastica atque ipsa missio Christiana et utraque pars in alteram bonum effectum exsereret, Norbertus Weber magnā ex parte ab P.re Andrea Amrhein assumpserat. Tamen accentūs proprios posuerat, qui imprimis ad progrediendi modum practicum spectabant. - Cfr. Cyrill SCHÄFER (2005), p. 195. - De perceptione Andreae Amrhein cfr. supra cap. 2.2.2.

<sup>15</sup> In ipso libello annus divulgationis non indicatur. Sed ex Norberti Weber epistulā circulari die 25<sup>o</sup> m. Oct. a. 1908<sup>o</sup> datā (ASO, Dar-es-Salaam 3, Z.1.03) annus apparere videtur, quo hoc scriptum impressum sit. Nam in initio illius epistulae abbas scripsit libellum tempore vernali eiusdam anni (1908<sup>i</sup>) exaratum esse. - Annum 1908<sup>um</sup> indicant Siegfried HERTLEIN: *Benediktinische Missionsmethode in Ostafrika. Idee und*



*Frontispicium  
Norberti Weber tractatūs programmatici.*

nis, imprimis missionariis traditus est.<sup>16</sup>

Tractatū autem suo Norbertus Weber missionarium programma fundamentale exhibere conatus est. Hōc iam ex titulo apparet, quo ipse mandatum Christi apostolicum suscipit.<sup>17</sup> Sed etiam subtitulus est significans, qui est «*Cogitationes de scopis, qui operibus nostris missionariis positi sunt*».<sup>18</sup> Voluit enim hunc in modum viam conformem monstrare, quā missionarii Benedictini communiter atque unanimiter ire deberent ad optimum effectum missionarium in Africā orientali instituendum. Quamquam Norbertus Weber nonnullis locutionibus atque quibusdam perceptionibus, quae nobis hodiernis temporibus iam

---

Wirklichkeit. In: Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.): Zukunft aus empfangenem Erbe. St. Ottilien 1983, p. 102; Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.): Lebensbilder aus dem Bayerischen Schwaben. Weißenhorn 1976, p. 337; Frumentius RENNER: Mutterabtei Sankt Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Frumentius RENNER (ed.): Der fünfarmige Leuchter. II. St. Ottilien<sup>2</sup>1992, p. 13 adn. 15; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 132; Philipp Neri MAUCHER: Arbeit schafft Missionserfolg. Gedanken zu «Euntes in mundum universum» von Erzabt Norbert Weber OSB. In: Basilius DOPPELFELD (ed.): Mönche und Missionare. Münsterschwarzach 1988, p. 41; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 195. - Suso BRECHTER: Mönch und Missionar. Erzabt Norbert Weber OSB zum Gedächtnis. In: Die katholischen Missionen 75, 1956, p. 114; Johannes MAHR (2003), p. 121 annum 1907<sup>um</sup> indicant.

<sup>16</sup> *Cfr* Siegfried HERTLEIN (1983), p. 102; Frumentius RENNER: Weber (1976), p. 337; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 13; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 195.

<sup>17</sup> Mc 15,16: «et dixit eis euntes in mundum universum praedicate euangelium omni creaturae». - *Cfr* Matth. 28,18-20: «et accedens Iesus locutus est eis dicens: data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.»

<sup>18</sup> «Gedanken über die Ziele, welcher unserer Missionstätigkeit gesteckt sind».

alienae factae sunt,<sup>19</sup> cogitationes atque cognitiones temporis sui sequitur, tamen programma, analysis atque scopi abbatis multo ampliores atque profundiores sunt.

Sed spectemus eius deliberationes ipsas. Totum scriptum divisum est in duodecim capitula maiora. Verbis autem introductoriiis Norbertus Weber breviter adumbravit, qui esset scopus missionis et sub quo fundamento eadem efficaciter fieri posset. Nam ei agitur de fine, quo totus populus neque tantummodo singuli homines ad Christianitatem adducantur. Sed ut hoc fieri possit, necessarium est - et hoc est magni momenti -, ut fundamentum sociale ponatur, quo illius populi condiciones vivendi terrestres mutantur atque meliorantur.<sup>20</sup> Nam sine solidis subsidiis vitae etiam progressus Christianitatis non ita bonus atque solidus futurus est, cum illi duo aspectus artē cohaereant. Tamen hōc in conexū status illius populi, de quo agitur, respiciendus est, ne eidem aliquid imponatur, quod ei non conveniat. Est ergo officium missionarii, quo firmum solum vitae cottidianae socialisque praeparet et hunc in modum mediator inter caelum et terram fiat. Itaque Norberto Weber persuasum erat imprimis Benedictinos ad missionem efficaciter exanclandam esse aptos, cum iidem sententiā, quae est «ora et labora», decursū saeculorum iam multas gentes ad meliorem vitam et ad altiorem gradum cultūs civilis adduxissent.<sup>21</sup>

Hae deliberationes praeviae Norbertum Weber adduxerunt, ut capitulo insequente diligenter inquireret in modum missionarium ipsorum Otilianorum, et ut illum modum usque tunc vigentem analysi acri subduceret. Nam putavit tempore praeterito Otilianos in regione missionariā ab principiis Benedictinis aberravisse, id quod missioni non fuisset emolumento. Abbati enim omnino cordi atque maximi momenti erat Otilianos esse *et* Benedictinos *et* missionarios neque illis unum ex his duobus aspectibus relinquere licere, ne sibimet ipsis firmum statum detraherent atque bonum effectum

---

<sup>19</sup> Sic de hac re etiam iudicant ex. gr. Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 53; Johannes MAHR (2003), p. 121.

<sup>20</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 2 sq. - *Cfr* Basilius DOPPELFELD: *Benediktiner als Missionare*. In: *Zeitschrift für Missionskunde und Religionswissenschaft* 75, 1991, p. 212; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 100; Frumentius RENNERT: *Norbert Weber* (1976), p. 337; Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 44; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 196.

<sup>21</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 3. - Hac in re generali Norbertus Weber scilicet cogitationes P.ris Andreae Amrhein sequitur.

amitterent.<sup>22</sup> Nam opinionem, quā condicio Benedictina missioni non conveniret, provenire ex falsā perceptione principiorum Benedictinorum vel ex nimīa concessione spiritūs temporis.

Difficultates autem in missione Ottilianā, quas Norbertus Weber vidit, putat effectas esse tali concessione, quam congregatio quōque propria iam in initio missionis fecerat et quā principia traditionesque Benedictinas reliquit. Tamen abbas haec non indeliberate protulit, sed causas et conexūs exhibuit, cur res hunc in modum non ita opportunum evenissent.<sup>23</sup> Clare autem singula puncta īdem vidit, ex quibus missionarium systema falsum exortum esset. Existimat enim primo Ottilianos nimis mature regionem missionariam accepisse neque satis multos monachos necessarios habuisse, quos successores illuc mitterent; deinde calamitosum fuisse, quod prima statio Pugu deleta esset; porro inopiam missionariorum aliquid ad difficultates attribuisse, quae condicio aucta esset multis stationibus in variis regionibus conditis; hoc praeter alia etiam eā de causā factum esse, cum missionarii timuissent, ne bonas regiones aliis confessionibus relinquerent; praeterea opinionem valuisse, quā aliis magnā copiā stationum admirationem inicerent; porro vero zelo apostolico Mauri Hartmann problemata non minuta esse, qui quam plurimas regiones ad Christianismum propagandum esse occupandas putavisset. Denique Norbertus Weber difficillimas condiciones medio decennio nono saeculi undevicesimi in monasterio Ottiliensi vigentes attulit, quae fuissent in causa, cur novum régime ibīdem aspectum Benedictinum imprimis respexisset atque eundem consolidare conatum esset tamen aspectum missionarium aliquatenus neglegens.<sup>24</sup> Itaque missionarii viam propriam invenire debuerunt, cum in domo matrice bonus rectusque intellectus mis-

---

<sup>22</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 5. - Hunc conexum Norbertus Weber iam in relatione suā visitationis habitae caute admonuit. *Cfr* Rezess der I. Visitation (1905) der Missionsstationen O.S.B. im Apostolischen Vikariat Süd-Sansibar, p. 2 (ASO, Dar-es-Salaam 3, Z.1.03). - *Cfr* supra cap. 4.3.3.4. - *Cfr* etiam Siegfried HERTLEIN (1983), p. 99.

<sup>23</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 6 sqq. - *Cfr* Siegfried HERTLEIN (1983), pp. 99 sq.; Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 46; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 200.

<sup>24</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 6. - Johannes MAHR (2003), p. 122 Norbertum Weber hōc locō gravia opprobria erga Maurum Hartmann atque Ildefonsum Schober proferre putat. Certe abbas difficultates ex condicionibus exortas attulit et aperte indicavit, quamquam īdem subiunxit Beuronenses iure meritoque accentum posuisse in aspectum Benedictinum non solum subiective ex parte suā, sed etiam obiective ex parte Ottiliensi.

sionarius aliquatenus evanesceret atque missionarii alterā ex parte ab principiis Benedictinis aberrarent. Quamquam in regione missionariā systema quoddam paroeciale exoriretur, missionarii ab domo matrice solvi non poterunt, cum et pecuniā et cooperatoribus inde mittendis indigerent. Effectūs autem et conclusiones in missione ex his condicionibus tractae Norberto Weber falsae atque inopportunae videbantur. Nam secundum eius perceptionem neque aspectus Benedictinus neque aspectus missionarius negari licet, cum uterque ex voluntate ecclesiae exortus eisque impositus sit. Proprium autem officium suum putavit in eo esse, ut illa duo principia magna coniungeret.<sup>25</sup>

Tamen haec analysis unā ex parte solum est conspectus sobrius condicionum valentium earumque causarum. Alterā ex parte abbati optimam ansam prae-buit, quā programma suum proponeret atque impulsūs ad condiciones meliorandas daret.

Itaque antequam Norbertus Weber in singulas quaestiones speciales incubuit, cogitationes suas generales exhibuit, quibus explicuit, quae officia missioni in regione Africanā explenda essent, ut effectus missionis esset profundus atque diuturnus.<sup>26</sup> Cum Norbertus Weber Africanam regionem missionariam in itinere suo ipse vidisset atque bonum conspectum sibi acquisivisset, bene scivit, quales condiciones ibidem vigerent et quae essent vitae cottidianae difficultates indigenarum. Eā de causā ei persuasum est omnino necessarium esse, ut «magna damna socialia»,<sup>27</sup> quae in Africa inveniuntur, primo essent melioranda, antequam Christianitas atque cultus civilis Christianus fundari posset. Itaque putavit docentiam solam, quā religio Christiana traditur, non sufficere, sed ad miseriam sociale superandam initium profundius capiendum esse. Hōc significat missionarios iuxta eruditionem moralem atque spiritalem primo in prosperitate quadam materiali instituendā auxilium ferre debere.<sup>28</sup> Itaque missione impulsūs dandos esse, quibus progressus socialis instigaretur.

---

<sup>25</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 9. - Cfr Siegfried HERTLEIN (1983), p. 100; Frumentius RENNERT: Norbert Weber (1976), p. 337; Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 46; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 200.

<sup>26</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 10 sqq. (cap. 3).

<sup>27</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 11.

<sup>28</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 13. - Eodem in conexū abbas scripsit missionarios nigritis ut commilitiones (sensū stricto) in pugna contra miseriam corporalem atque inopiam sociale occurrere debere.

Hac in re Norberto Weber erat cogitatio magni momenti. Nam putavit populis varias phases progressūs culturalis transcurrendas esse (etiamsi interdum cursū aliquatenus celeriore), cum enim modo, quo status alicuius civitatis progressae statim sine respectū condicionum vigentium alicui populo nondum ita progressu imponeretur, eius ruina socialis efficeretur. Hunc in modum incrementum cultūs civilis Christiani ab initio impossibile fieri.<sup>29</sup> Quam vera atque recta fuisset haec cogitatio Norberti Weber, deinde illi, qui postmodum in progressionem oeconomiam socialemque populorum egentium politice atque scientificè incubuerunt, bene animadverterunt.

Tamen abbas programma suum, quod ipse ingens esse appellavit, primo paucis verbis significativis comprehendit,<sup>30</sup> quae sunt: nigritas ad laborandum educare,<sup>31</sup> contra famem pugnare, nigritas domiciliis certis assuefacere, mores feroces domare, possessiones tueri, quaestionem mulierum solvere, cum eadem malā in conditione viverent, malas condiciones hygienicas meliorare, potentiam islamismi restringere. Sed abbas scivit ad has res omnes mutandas meliorandasque, quibus «tristis conspectus miseriae socialis» praeberetur, longo spatio temporis atque multis laboribus continuis indigeri.

Ergo fundamentum, quod ad populum vere Christianizandum necessarium est, est socialis prosperitas indigenarum. Quomodo autem Norbertus Weber talem prosperitatem in regione Africanā acquiri posse putaret, in sequentibus capitulis libri sui singillatim atque fuse explicuit.

Cum hic aspectus abbati tam magni momenti esset, iterum iterumque ad eum recurrit. Nam artissimam coniunctionem inter bonam condicionem materiale populi et Christianismum bene fundatum atque progressum cultūs civilis Christiani vidit. Nam periculum exstat - ut dicit -, quo populus diffringitur, cum variis ex causis miseria socialis atque fames exoriantur. Hunc enim in modum insimul etiam crisis Christianitatis efficitur. Itaque tales inopiae praecavendae sunt. Optimum autem remedium contra huiusmodi pericula esse validum stratum sociale intermedium Norbertus Weber putavit, quo solidum fundamentum ad vitam populi servandam ponitur.<sup>32</sup> Hac perceptione

---

<sup>29</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 11. - *Cfr* Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 51.

<sup>30</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 12.

<sup>31</sup> De hōc problemate *cfr* infra.

<sup>32</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 16 sqq. - Iam sortem tristem nigritarum praevidit, cum cultus civilis modernus Europaeusque eis apponeretur atque tale fundamentum deesset. - *Cfr* Siegfried HERTLEIN (1983), p. 100; Frumentius RENNERT:



rei abbas eandem opinionem habuit ac plerique hodierni periti scientiarum oeconomicarum. Intendebat ergo Norbertus Weber indigenarum conditionem consolidatam, quā maior pars populi bonam commodamque facultatem vivendi haberet.

Itaque agendi modum vigentem colonorum regiminisque critice spectavit tractavitque, cum unā ex parte scriberet mercatores tantummodo ignorantiam hominum abuti velle, ut semet ipsos locupletarent, alterā ex parte proferret possessores magnorum praediorum solum lucrum desiderare, quā de causā nigras quam plurimum laborare atque pro laboribus quam minimam pecuniam solvere vellent.<sup>33</sup> Praeterea scripsit introductione oeconomiae pecuniarie periculum imminere, quo interna structura humanae societatis Africanae dissolveretur, quia Africani ministeria Europaeorum explentes ab gente suā abalienarentur. Cum autem coniunctiones cum familiā atque cum gente debilitarentur, etiam labores missionariorum difficiliore reddi.

Quaestio fundamentalis ergo est, quomodo salubris prosperitas populi in regione missionariā institui atque acquiri possit. Secundum persuasionem Norberti Weber progressus alicuius populi debet esse organicus. Non enim licet plures gradūs transilire, imprimis non inferiores. Si haec condicio non respicitur, malus eventus iam praesagiri potest.<sup>34</sup> Bonus autem atque organicus progressus ad civitatem culturalem fit, cum populus varios gradūs insequentes transgreditur, id est primo homines statum nomadum relinquere atque in agriculturam diligenter incumbere debent, quae inde incrementum capit. Sic etiam modico modo opificium exerceri incipitur. Augmento pro-

---

Norbert Weber (1976), p. 337; Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 48; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 197.

<sup>33</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 14, 19, 33. - Similiter idem in libro Cyrilli Wehrmeister (1906), p. 253. - Tamen Norbertus Weber generaliter nihil contra colonialismum ipsum habuit, cum ipsi sicut plerisque contemporaneis praestantiam cultūs civilis Europaei exstare persuasum erat. Sed vitia in agendi modo colonorum clare vidit, quae programme suo impedire conatur. - *Cfr* ex. gr. Cyrill SCHÄFER (2005), p. 197; Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 42. - Frumentius RENNERT: Entfaltung. In: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 14 scribit Norbertum Weber programme suo artam cooperationem cum administratione coloniali in salutem gentium Africanarum praedicavisse et possibilitatem quasivisse, quā regio quoad technicam commeatūs et oeconomice proveheretur atque utilis redderetur. Tamen tales cogitationes - quantum vidi - in ipso textū abbatis non inveniuntur. Essent etiam contrariae eius perceptioni generali.

<sup>34</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 21.

creationis agrariae atque augmento populi hunc in modum effecto etiam desideria augentur, quibus opificia melius fundamentum accipiunt atque florere incipiunt. Tunc denique tempus est, quo ipsa negotiatio incohari potest.<sup>35</sup> Norbertus Weber ergo exemplar graduum ex historiā depromptum ante oculos habuit,<sup>36</sup> quo parvis solum gressibus factis nimia postulatio, quae populo infertur, vitatur.<sup>37</sup>

Ex his praedeliberationibus iam apparet, ubi punctum maximi momenti sit, quocum omnia reliqua cohaerent. Nam in prosperitate materiali instituendā, quā etiam Christianitas fulcitur, incohandum est infimo gradū, nempe agricultura atque re pecuariā.<sup>38</sup> Progressus enim cultūs civilis fieri non potest, dummodo in interioribus regionibus Africae fames praecaveri non potest. Et quomodo melius calamitosae condiciones oeconomicae, quibus magna pars populi fame periculosā laborat, mutentur, nisi solidā agriculturā, abbas interrogat. Nam si homines nihil habent comedendum, etiam reliqua eorum non iam intersunt. Videtur autem abbas hac perceptione suā rem acū tetigisse. Praeterea putat sub tali condicione, quā populus tam multas res producit, ut quaedam in tempora necessitatis colligere possit, et quā propter prosperitatem quandam ex patriā suā non iam aufugere coactus est et meliore statū habitandi melius se habet, eundem doctrinae quōque Christianae magis accessibilem fore atque communitates Christianas exoriri et totam vitam

---

<sup>35</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 21. - Idem paginis 22 sqq. etiam explicuit, cur opificia atque negotiatio non esse deberent primi gradūs progressūs. Nam vera negotiatio solum fieri potest, cum plures res procreentur quam quibus populus ipse indigeat. Itaque populus ad negotiationem praeparetur oportet mutatione vitae oeconomicae. Praeterea negotiatio florida indiget bonis condicionibus comēatūs, id est viis, stratis, ferriviā sim., quae res in regionibus Africanis nondum satis excoltae sint. Similiter res se habent in opificiis, quae revera tantummodo florere possunt sub fundamento bonae agriculturae reique pecuariae.

<sup>36</sup> Cfr etiam ex. gr. Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 51; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 100.

<sup>37</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 33 graviter monuit, ut progressus non esset nimis celer et ut populi Africani satis diu liberi manerent ab progrediente spiritū moderno cultūs civilis. Nam collisio praematura inter cultūs civiles perduceret ad ruinam socialem gentium indigenarum, quā coloniae «*fierent infelix acquisitio Germaniae*».

<sup>38</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 30 sqq. - Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 197; Basilius DOPPELFELD (1991), p. 212; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 100; Frumentius RENNER: Norbert Weber (1976), p. 338; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (1992), p. 14; Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 44.

populi sanari atque validiorem reddi. Hunc in modum effectūs invicem exhibitos inter Christianitatem atque progressum populi fieri solent.<sup>39</sup>

Tamen ut talis effectus exoptandus aliquando cerni possit, necessarium est - uti Norbertus Weber dicit -, ut Africani indigenae ad labores ordinatim exanclandos educentur.<sup>40</sup> Sed hōc terminō, qui est «educatio laborandi», abbas punctum sensibile tetigit, cum hic terminus hodiernis temporibus non sine causā sit suspiciosus, imprimis quia administratio colonialis atque ipsi coloni eodem ideologiā fulto utebantur. Eorum autem scopus imprimis erat in eo, ut tali «educatione» plurimos operarios invenirent, qui vili pretio pro Europaeis laborarent et quibus hunc in modum abuti possent in lucrum proprium instituendum augendumque.<sup>41</sup> Tamen Norbertus Weber in hōc programme suo (et alibi) omnino aliam perceptionem rei exhibet.<sup>42</sup> Nam abbati magni momenti est indigenas ad labores adducere, quibus unā ex parte

---

<sup>39</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 31.

<sup>40</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 30; etiam ex. gr. pp. 17, 35, 45, 54, 74, 77 sq., 79.

<sup>41</sup> De hac re *cfr* ex. gr. Horst GRÜNDER: *Christliche Mission und deutscher Imperialismus*. Paderborn 1982, pp. 239 sqq.; Anton MARKMILLER: «Die Erziehung des Negers zur Arbeit». Berlin 1994, pp. 74 sqq.; Detlef BALD: *Deutsch-Ostafrika 1900-1914. Eine Studie über Verwaltung, Wirtschaft und Interessengruppen*. Diss. Freiburg 1970, pp. 127 sqq., qui ideologiam atque proposita consociationum colonorum, quae ad «educationem laborandi» spectabant et inde ab anno 1906<sup>o</sup> exhibebantur, retroversa et ad odium phylethicum spectantia appellat. Tamen coloni praeter sensūs superioritatis colendos etiam scopum practicum habebant, qui ad viles operarios subditos et ad auctoritatem propriam exercendam spectabat.

<sup>42</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 30. - Nihilominus etiamsi quasdam differentias vidit, ex. gr. Anton MARKMILLER (1994), pp. 103 sqq. putat cooperationem inter régime coloniale et missionem (imprimis catholicam) fuisse magis symbioticam, quā de causā effectūs educationis missionariae fuisset regimini atque colonis etiam quoad labores exanclandos utilissimi. - Michael LEMKE: *Zu Methoden und Wirkungen der katholischen Missionskongregationen in der ehemaligen Kolonie Deutsch-Ostafrika 1885-1918*. In: Winfried BROSE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.): *Mit Kreuz und deutscher Flagge. 100 Jahre Evangelium im Süden Tanzanias*. [Beiträge zur Missionswissenschaft und Religionsgeschichte. 3]. Münster 1993, p. 132 denuo rem miram protulit, cum scriberet imprimis Benedictinos in missione disciplinam atque severitatem observavisse. Eos regulam ordinis sui revera invertisse, cum non iam «orare» fuisset in primo loco, sed «laborare». Fundamentum generale eorum missionis Africae fuisse hoc: «Laborent!» - Cum autem idem talia habeat ex actis diurnis, quibus titulus erat «Usambara-Post» (anni 1904) neque ullos alios fontes adhibeat, videtur denuo in muscipulam ideologiae iam superatae incidisse.

ipsi lucrum atque emolumentum habent neque pro aliis laborant et qui alterā ex parte ad indigentias vitales explendas auxilium ferunt et qui peritiam quandam iam existentem ut fundamentum habent. Hunc in modum Norbertus Weber indigenas etiam ab exspoliatione Europaeorum protegere vult.<sup>43</sup>

Haec omnia ad solam unam conclusionem eum ducunt, id est agriculturam indigenis profunde atque systematice esse tradendam. Hoc propositum secundum Norbertum Weber plura emolumenta praebet. Nam praeter solidam prosperitatem populi, quae ei est maximi momenti, etiam contactūs atque cooperationes inter Africanos atque missionarios fiunt artiores, cum talis scopus tantummodo ad effectum adduci possit exemplo. Hōc significat ipsos missionarios magnā ex parte agriculturam exercere debere, ut hunc in modum exemplo suo Africanos doceant.<sup>44</sup> Sic etiam plures alii effectūs opportuni exseruntur, qui ad populum diuturne Christianizandum spectant. Praeterea - quod non est spernendum - agriculturā exercendā etiam condicio oeconomica singularum stationum missionariarum melioratur,<sup>45</sup> quae deinde semet ipsas sustentare possunt.<sup>46</sup>

Sequuntur autem nonnullae cogitationes abbatis, quae ad quaestionem spectant, quomodo proposita peragantur. Punctum enim saliens erat numerus missionariorum, imprimis fratrum conversorum, qui multum augeri deberet,

---

<sup>43</sup> Similiter cogitationes iam protestanticus superior missionarius Alexander Merensky protulerat. - *Cfr* [Alexander] MERENSKY: Welches Interesse und welchen Anteil hat die Mission an der Erziehung der Naturvölker zur Arbeit? *In*: Allgemeine Missionszeitschrift 14, 1987, pp. 147 sqq.

<sup>44</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 34.

<sup>45</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 35, 37 sq.; 41.

<sup>46</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 38, qui ibidem scripsit pecuniam, quae illo tempore accipiebatur, tribus quattuorve annis post non iam suffecturam esse, si systema in missione vigens ita asservaretur ut esset. Praeterea sollicitus erat aliquid accidere posse, quo summa pecuniaria ex Europa mittenda minueretur vel omnino intercluderetur. Hōc in conexū expressis verbis de bello quodam futuro locutus est. Mirum in modum hōc locō vere providus erat. Ceterum scripsit possibilitates pecuniarias domūs matricis exhauriri iam eruditione missionariorum futurorum. Itaque omnino necessarium esse, ut monasteria missionaria sibimet ipsis fundamentum oeconomicum extruerent. Nisi hoc fieret, brevi tempore totam vim expansoriam Congregationis corruiaturam esse. - Siegfried HERTLEIN (1993), p. 102 hōc in conexū adnotat illis annis Thomam Spreiter episcopum saepe de inopia pecuniaria questum esse, quā de causā singulae stationes nondum propriis pedibus stetisse videntur. - Nihilominus episcopus Thomas Spreiter etiam annis insequentibus saepissime de indigentis variis regionis missionariae questus est, ut ex eius commercio epistulari apparet.

ut hic aspectus programmatis bonum effectum haberet. Fratres autem conversi, qui in disciplinā suā peritissimi sint oportet, praesertim in agriculturā atque in re pecuariā operentur, ubi praeterea curam indigenarum attrahant atque deinde eos paulatim his in rebus doceant.<sup>47</sup> Exemplum ergo fratrum eorumque institutio, quam exhibent, erat nucleus propositi.

Tamen ut consilium revera effectum exserat, quaedam praeparationes sunt necessariae. Nam primo satis multae areae sunt coemendae, in quibus non solum omnes fructūs ad victum necessarios colantur atque insuper satis multa, quae supersunt, producantur, ut tempore famis aliquid ad distribuendum adsit, sed in quibus etiam horticultura exerceatur et quae praeterea partim nigritis tradantur, ut ipsi ibīdem agros atque hortos instituant.<sup>48</sup> Nam missionariorum exemplum est quidem utile, sed non sufficit, quia coniungatur oportet cum instructione systematicā atque cum laboribus indigenarum propriis, ex quibus iidem statim emolumentum sibi capere possint.<sup>49</sup>

Supra fundamentum solidum agriculturae bene instructae deinde paulatim atque organice ad opificia atque negotiationem transiri potest.<sup>50</sup> Sic populus per gradūs fortificatur, condiciones sociales in melius mutantur atque detrimenta vitantur, quae exoriuntur, cum cultus civilis quidam populo praecipitanter superponitur.<sup>51</sup>

Tamen haec consilia fundamentalia ad agriculturam promovendam alias quōque sequelas habent. Nam cum secundum proposita abbatis in regione missionariā agricultura fiat maximi momenti, omnino necessarii sunt missionarii huius rei peritissimi. Ex hac condicione sequitur eruditionem fratrum missionariorum in domo matrice magnā ex parte mutandam esse.<sup>52</sup> Hōc

---

<sup>47</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 43 sqq.

<sup>48</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 47 sqq.

<sup>49</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 54.

<sup>50</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 55 sqq.

<sup>51</sup> Aliquotenus ironice Norbertus WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 56 subiungit talem methodum non solum ideae Christianae utilem esse, sed etiam coloniae emolumento esse, «*ita ut gratias regiminis mereamur, etiamsi eas non accipiamus*».

Eodem in conexū (pp. 57 sq.) abbas iterum adnotationes criticas protulit praeter alia scribens rationes intentionesque missionis cum consiliis modernis colonialismi non omnino congruere videri, etiamsi essent unicae, quibus salubris progressus diuturnus populi institui posset.

<sup>52</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 58 sqq. - Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 198; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 101; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter

significat in futurum in fratribus conversis erudiendis agriculturam habere praeponderantiam. Nam eruditio desideriiis missionariis adaptanda est, quā de causā proximis temporibus eruditio opificum aliquatenus postponenda est, quamvis non prorsus evanescat.

Sed etiam haec mutatio eruditionis emolumentum in domo matrice habet. Nam methodo usque tunc adhibitā, quā unusquisque frater conversus duobus in opificiis erudiat, maximi sumptūs erogandi sunt, quos numero monachorum aucto monasterium patrium non iam diu sustentaturum est. Itaque abbas viam quandam intermediam proponit, quā unusquisque frater oeconomicus opificium quoddam saltem aliquatenus sciat et unusquisque opifex, qui regionem missionariam adit, saltem aspectum quendam agriculturae bene intellegat.<sup>53</sup> Nihilominus in ipsis stationibus missionariis fratres oeconomici maioris ponderis sint oportet, ut indigenas doceant eorumque subsistentiam promoveant.

Alius quoque aspectus Norberto Weber in programmate suo erat maximi momenti, qui aspectus cum prosperitate populi augendā artē cohaerebat. Agitur enim de scholā eiusque officio sociali.<sup>54</sup> Antequam autem abbas ad proposita directa, quae ad ipsam institutionem scholarem spectant, pervēnit, primo nonnullas deliberationes praevias magisque generales exhibuit.

Nam institutio in scholis missionariis atque ipsa educatio secundum Norbertum Weber illum finem habent, quo pueri puellaeque nigratae ita erudiuntur, ut non solum veritates religiosas recipiant intellegantque, sed etiam apti fiant, ut scholā superatā propriam prosperitatem fundare atque in sociali prosperitate totius populi augendā auxilium ferre valeant. Apti ergo sint oportet, ut principiis cognoscentiisque in scholā acquisitis vi morali imbuti vitam suam prospere instituere possint.<sup>55</sup>

Scitū autem dignum est abbati in liberis educandis necessarium esse videri, ut natura atque consuetudines populi respiciantur. Praeter educationem religiosam, quae est magni momenti, eruditio spiritalis locum suum habeat oportet. Tamen omnimodo vitandum esse putat, ne materiae, quae in scholis

---

II (2<sup>o</sup>1992), p. 14; Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 46.

<sup>53</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 62 sq.

<sup>54</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 63 sqq. - *Cfr* Frumentius RENNER: Norbert Weber (1976), p. 337; Frumentius RENNER: Entfaltung. *In*: Leuchter II (2<sup>o</sup>1992), p. 14; Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 43.

<sup>55</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 64.

Germanicis docentur, eodem modo discipulis Africanis imponantur. Nam non licet principia ex terrā alienā deprompta indiscriminatim transponere, sed condiciones ipsius regionis Africanae sunt respiciendae.<sup>56</sup> Norbertus Weber hic omnino recte iudicare videtur, cum adhibeat principium didascalicum, quod in paedagogiā modernā valet et quo dicitur discipulos ibi assumendos esse, ubi secundum facultates suas stant.

Sed ex hac perceptione etiam aliud sequitur. Nam Norbertus Weber existimat linguam Theodiscam in missionariā scholā elementariā docere non esse bonum, e contrario. Et tempus discipulorum hac re inutiliter terere putat esse patriae amorem falso intellectum. Tamen Norbertus Weber nihil habet contra institutionem linguae Theodiscae ipsam, sed solum eandem esse inopportunam diiudicat, cum agatur de scholā elementariā, cui respectus multitudinis opus est.<sup>57</sup> Officium enim scholae elementariae est in eo, ut liberi linguā maternā bene uti discant. Praeterea etiam missionariis non est bonum, cum communicent cum indigenis linguā quādam, quam illi non bene intellegunt, quia hunc in modum accessus ad ipsos difficilior redditur atque damnum inexpectatum efficitur.<sup>58</sup>

Ceterum in institutione scholari - ut Norbertus Weber existimat - specialiter respicienda est vita oeconomica, in quā adultus deinde versaturus est. Hoc significat praeter institutionem legendi, scribendi, computandi etiam institutiones practicas esse praebendas.<sup>59</sup> Nam ea, quae postea in vitā cottidianā eis necessaria sunt, discipulis modo non coactivo iam in schola discant. Itaque schola exhibeat oportet incitamenta ad populi vitam oeconomicam meliorandam.

Ex his deliberationibus theoreticis deinde proposita practica proveniunt. Secundum Norberti Weber programma generale, quod maximum pondus in agriculturam ponit, pueri iuxta institutionem theoreticam etiam instruantur practice in oeconomia atque in opificio quodam.<sup>60</sup> Sed abbati etiam puellae sunt cordi neque eas neglegit. Necessarium enim esse putat, ut etiam puellae scholam elementariam frequentent atque ibidem legere, scribere, computare

---

<sup>56</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 67.

<sup>57</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 68 sq. - Similiter abbas iudicat de institutione linguae Suahelicae, quae solum illis locis utilis sit, ubi plures gentes minores angustiore in territorio cohabitent.

<sup>58</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 71.

<sup>59</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 73.

<sup>60</sup> *Cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 77 sq.

discant atque in rebus domesticis horticulturneque instruantur. Nam in Africā - ut scribit - exstat quaestio mulierum, cui «natura gravior est quam in civitatibus culturalibus». Ibīdem enim agitur de fine, quo mulieribus denique status homini dignus reddendus est.<sup>61</sup>

Proposita abbatis, quae attinent ad scholam sic comprehendi possunt:<sup>62</sup> Nimia postulata in materiā docendā non sunt exhibenda. Lingua Suahelica solum in casū extremae necessitatis ut sermo scholaris adhibeatur. Eadem similiter ac lingua Theodisca tantummodo in scholis superioribus discipulos meliore indole praeditos doceatur. Praeterea discipuli in schola erudiantur ad necessitates vitae, id est res practicas quoque discant sicut in tirocinio Germanico, quod ibīdem post scholam exanclatur. Disciplinae theoreticae primis tribus annis scholaribus praeponderantiam habeant, deinde instructio practica praeferatur.

Denique Norbertus Weber aspectum quendam denuo tangit, qui maxime ei cordi est. Nam quia ei persuasum est vitam alicuius populi dependere ab vita familiae, putat praesertim hoc principium, id est familia, in regione missionariā renovandum et curandum esse. Sed etiam hac in re abbas monachos missionarios exemplum praebere vult.<sup>63</sup> Cum enim vita familiaris sit norma monasteriorum Benedictinorum, hoc principium familiare est emolumentum quōque, cum agatur de populis nondum progressis ad Christianitatem adducendis. Itaque cum Benedictini in missione quōque hoc principium familiare retineant, idem in labores missionarios potest optimos effectūs exserere. Necessarium autem est, ut in singulis stationibus plures monachi missionarii versentur atque cooperentur, ita ut indoles familiae ibīdem valens melius conspiciatur.<sup>64</sup> Tali autem cogitatione Norbertus Weber iterum ad initium programmatis sui revertitur. Nam secundum eius opinionem omnia solum bene progrediuntur atque stabiliuntur, cum contingat, ut principium Benedictinum atque principium missionarium bene efficaciterque coniungantur.

Haec hactenus de ipso textū. Sed quid cogitandum est de propisitis atque de programme Norberti Weber? Posteriores investigatores magnā ex parte unanimiter de hōc scripto abbatis positive iudicant. Generaliter dicitur fuisse

---

<sup>61</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 80 sqq.

<sup>62</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 85.

<sup>63</sup> Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 87 sq.

<sup>64</sup> Ut Norbertus WEBER: «Euntes ...» (1908), p. 89 existimat hōc iam est totum programma quoddam missionarium neque «pessimum quoddam».



conceptio locuples atque clara, quā abbas longe lateque prospexit atque directionem monstravit et quā modernum programma auxilii progressūs praebendi exhibet, quō tempus suum longe antecessit.<sup>65</sup> Revera id quod praebet, est «adiumentum ad semet ipsum auxiliandum», quo tamen scopum Christianum semper coniungit.

Specialiter autem laudatur atque laudandum est Norbertum Weber deliberationibus suis facta realia respicere atque disputare et indigenas nigras eorumque condicionem indigentiasque serio recipere. Respicit enim condiciones et oeconomicas et sociales, quarum meliorationem in favorem ipsorum hominum desiderat. Itaque etiam iterum iterumque adnotationes criticae, quae ad régime coloniale et ad colonos spectant, inveniuntur, quibus vitia vigentia acū tetigit. Positive autem animadvertendum est Norberto Weber persuasum esse progressum populi desideratum non sine respectū rerum oeconomicarum fieri posse. Insuper scit scopum suum definitivum, id est populum reddere Christianum, solum condicione vitae cottidianae melioratā ad effectum diuturnum profundumque adduci posse. Itaque bona scientia rerum oeconomicarum etiam ab monachis missionariis postulanda est. Tamen - id quod etiam laudandum est - nihil praecipitanter fieri vult neque opportunum esse putat cultum civilem alienum populis Africanis violenter superponere. Ceterum Norberti Weber cogitationes de rebus scholaribus etiam non sunt nullius momenti, quae quōque magnā ex parte vere moderne sonant. Nam unā ex parte bene scit ex iuventute tempus futurum atque prosperam condicionem futuram alicuius populi provenire, quā de causā eam bene erudire sit maximi momenti. Alterā ex parte methodo docendi, quae adhibenda esse putat, pueris puellisque amorem operandi atque dilectionem rei inicere, eos ad cogitationes proprias et ad facultatem diiudicandi adducere, eorum ambitionem instigare vult. Imprimis adnotandum est Norbertum Weber methodum, quae est «discere faciendo» praeferre videri.<sup>66</sup>

---

<sup>65</sup> *Cfr* Frumentius RENNERT: Norbert Weber (1976), p. 337; Chrysostomus SCHMID: Erzabt Norbert Weber. *In*: Benediktinische Monatsschrift 32, 1956, p. 220; Frumentius RENNERT: Entfaltung. *In*: Leuchter II (1992), p. 14; Johannes MAHR (2003), p. 121; Godfrey SIEBER (1992), p. 132; Basilius DOPPELFELD (1991), p. 212; Suso BRECHTER: Mönch und Missionar. Erzabt Norbert Weber zum Gedächtnis. *In*: Die katholischen Missionen 75, 1956, p. 114, qui praeterea subiunxit esse programma, quod usque in hodiernum diem (id est usque in annum 1956<sup>um</sup>) nondum esset obsoletum neque vere inchoatum.

<sup>66</sup> *Cfr* etiam Philipp Neri MAUCHER (1988), pp. 44 sq., 49 sq.; Siegfried HERTLEIN (1983), pp. 100 sq.; Johannes MAHR (2003), pp. 121 sq.

Tamen investigatores posteriores etiam quaedam puncta critice disputant. Scilicet primo nominanda est dictio, quam Norbertus Weber nonnullis locis adhibet.<sup>67</sup> Nam interdum idem loquitur de «populis inferioribus», qui cultū civili egeant, de nigritis, qui sint sicut infantes atque sicut illi tractandi educandique sint et talia similia. Recte autem eum in modo cogitandi loquendique versari atque haerere monent, qui tempore suo generatim erat in usū. Sed revera non erat exspectandum abbatem etiam in modo loquendi tempus suum iam transgredi valere, etiamsi in cogitando talia valuisse videntur.<sup>68</sup>

Sed alia quoque deliberanda sunt. Nam cum agatur de Norberti Weber proposito, quod ad gradūs processūs observandos spectat, interrogatur, num tale propositum realitati convenerit atque num abbas condicionem oeconomicam satis bene existimaverit.<sup>69</sup> Nam unā ex parte - praeter rixas cum colonis hac in re exspectandas - investigatores dubitant, num consilia abbatis quoad pecuniam erogandam sustentari potuerint, alterā ex parte deliberant, utrum indigenae talem progressum per gradūs faciendum acceptaverint an potius pecuniam celeriter meritam praetulerint. Praeterea quaestio ponitur, num copia pecuniaria atque numerus missionariorum ad hoc programma efficiendum suffecerint. Melius autem fuisset - ut adnotant -, si Norbertus Weber non per gradūs progredi, sed agriculturam atque opificia insimul fovere voluisset.<sup>70</sup> Ceterum dicunt eius cogitationem, quā agricultura bene fundata solidaque esset necessaria, neque illo tempore neque posterioribus temporibus nimis dilectam fuisse.<sup>71</sup> Tamen cogitatione de gradibus observandis

---

<sup>67</sup> *Cfr* Johannes MAHR (2003), p. 121; Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 53; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 198.

<sup>68</sup> Praeterea - uti vidimus - eius perceptio nigritarum atque ea, quae pro iis efficere in animo habuit, magnā ex parte differunt ab scopis plerorumque coequalium.

<sup>69</sup> *Cfr* Philipp Neri MAUCHER (1988), pp. 51 sq.; Johannes MAHR (2003), p. 124.

<sup>70</sup> Quod Norbertus Weber res industriales in programme suo omnino non commemorat, fortasse inde explicari potest, ut Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 52 suspicatur, quia abbas timuerat, ne proletariatus industrialis exoriretur (cuius effectūs et sequelas in Europa iam viderat).

<sup>71</sup> Johannes MAHR (2003), p. 124 praeterea scribit Norbertum Weber in scripto suo scopum suum fundamentalem, nempe coniunctionem inter aspectum monasticum et aspectum missionarium omisisse videri. Revera abbas magis in quaestionem oeconomicam atque in educationem eruditionemque incubuit, tamen multa sub aspectū huius coniunctionis principiorum interpretari possumus, velut cum proponat numerum fratrum conversorum in missione operantium esse augendum, quia hunc in modum

paulo postpositā postulatio agriculturae solididae, quā populus quidam subsistentiam suam vitalem sustentaret servaretque, mihi non ita mala esse videtur.

Etiam si quaedam puncta in scripto critice aspici possunt, tamen Norbertus Weber programma in se logicum atque cohaerens proposuit, quo multos impulsūs ad statum missionis meliorandum dare potuisset.

Potuisset? - Quaestio ergo exoritur, qualem effectum hōc scriptum programmaticum revera habuerit.<sup>72</sup> Et haec res est mira. Nam unā ex parte hōc scriptum, quod est «*Exeuntes in mundum universum*», vix ullam reactionem officialem intra Congregationem evocavisse videtur,<sup>73</sup> alterā ex parte ipsi missionarii ipso libello eiusque argumentis aliquatenus perturbati fuisse vel contra eundem murmuravisse videntur.<sup>74</sup> Eā de causā Norbertus Weber die 28<sup>o</sup> m. Oct. a. 1908<sup>o</sup> epistolam circularem ad omnes monachos Ottilianos, imprimis ad illos in regione missionariā operantes, direxit, quā scopum libelli explicaturus erat.<sup>75</sup> Scripsit enim abbas ibīdem se epistolā suā praecavere velle, ne verba sua falso intellegentur atque difficultates exorirentur. Nam explicuit se nullo modo missionariis obligationem imponere voluisse, quā ea, quae ipse necessaria esse putaret, statim explenda essent. Se tantummodo persuasionem suam - etiam experiētiā quādam acquisitam - libello

---

plures monachi in singulis stationibus versarentur atque facilius preces communes fieri possent. Imprimis autem pondus, quod abbas in principium familiare ponit, omnino ad coniunctionem aspectuum pertinet. - Etiam Suso BRECHTER (1956), p. 14, sed magis generaliter et nullo exemplo allato, scripsit Norbertum Weber in hōc libellō validam synthesim aspectūs Benedictini atque aspectūs missionarii intente quaesivisse.

<sup>72</sup> Cfr Siegfried HERTLEIN (1983), p. 103; Frumentius RENNER: Norbert Weber (1976), p. 337; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (1992), p. 14; Johannes MAHR (2003), pp. 124 sq.; Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 41; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 188.

<sup>73</sup> Siegfried HERTLEIN (1983), p. 102 adnotat episcopum Thomam Spreiter nullo in textū scripto cogitationes propositaque abbatis fusius diligentiusque disputavisse.

<sup>74</sup> Johannes MAHR (2003), p. 124 scribit Thomam Spreiter vehementer contra libellum interpellavisse. - Cfr etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 198.

<sup>75</sup> Cfr Norberti Weber epistula circularis die 28<sup>o</sup> m. Oct. a. 1908<sup>o</sup> data (ASO, Dar-es-Salaam 3, Z.1.03). - Siegfried HERTLEIN (1983), p. 102 adnotat hanc epistolam circularem unā cum libello missam esse, sed eadem tamen postea missa esse videtur, ut apparet unā ex parte ex hac re, quā abbas libellum tempore vernali exaratum esse commemorat (*ibid.*, p. 1), alterā ex parte quia scripsit patrem quendam missionarium iam quaestiones posuisse et praeterea controversiam parvam in puncto quodam, quo agitur de usū linguae indigenarum, iam exortam esse (*ibid.*, p. 2).

exprimere voluisse, quam propositis consiliisque deliberatis exhiberet. Tamen «*quando, quomodo, ubi, quo amplo modo haec omnia, quae proposui, ad effectum adduci possint vel debeant, haec praecipere puto potius esse rem illius, cui administratio superior Vicariatūs Apostolici tradita est, cui quoque primo atque ultimo loco responsalitas est de progressū missionis.*»<sup>76</sup> Ex his verbis Norberti Weber iam apparet verisimiliter revera episcopum Thomam Spreiter questum esse, cum abbatem libello suo in responsalitatem episcopi se immiscere velle putaret.<sup>77</sup> Abbas autem secundum indolem suam egit et cessit. Scripsit quidem sibi persuasum esse se in theoriā propositis suis recte dixisse, sed in praxi rem simpliciter peragendam esse. Nam monachis generaliter suo Marte atque suā sponte progredi non licere, sed omnem bonum effectum ab oboedientiā exspectandum esse, id est eis auctoritatem episcopi praepositorumque sequendum esse.<sup>78</sup> Plura vero de libello atque de propositis suis hac in epistolā non scripsit,<sup>79</sup> quamquam deinde diutius in quaestionem oboedientiae incubuit et etiam satis fuse deliberationes de rebus stationum missionariarum parce tractandis neque dissipandis subiunxit.

Quod ex bonis atque deliberatis propositis Norberti Weber nullus effectus evēnit atque eadem in missione officialiter non sunt recepta, posteriores putant cum tali condicione cohaerere, quā missionarii modo suo solito nimis adhaeserint neque viam iam pridem incohatam relinquere atque mutationes suscipere voluerint atque potuerint.<sup>80</sup> Talis sententia etiam bene congruit cum analysi, quam Norbertus Weber in initio libelli exhibuit. Tamen quidam impulsūs ab abbate dati, imprimis in rebus scholaribus, videntur suscepti esse, etiamsi non propagabatur, unde exorti essent.<sup>81</sup>

---

<sup>76</sup> Cfr Norberti Weber epistula circularis die 28<sup>o</sup> m. Oct. a. 1908<sup>o</sup> data (ASO, Dar-es-Salaam 3, Z.1.03), p. 2. - Textus originaliter Theodiscus.

<sup>77</sup> Hac in re Thomas Spreiter valde sensibilis fuisse videtur, quamquam ipse libenter in res aliorum se immiscebat.

<sup>78</sup> Cfr Norberti Weber epistula circularis die 28<sup>o</sup> m. Oct. a. 1908<sup>o</sup> data (ASO, Dar-es-Salaam 3, Z.1.03), p. 2.

<sup>79</sup> Tamen tota epistula septem paginas typoscripti explet.

<sup>80</sup> Cfr Siegfried HERTLEIN (1983), p. 102.

<sup>81</sup> Sic ex. gr. episcopus Thomas Spreiter iure meritoque saepe laudatur, quia missionariam rem scholarem bene observaverat atque disposuerat. - Cfr ex. gr. iam Franz Solan SCHÄPPI: Die katholische Missionsschule im ehemaligen Deutsch-Ostafrika. Wien/Zürich 1937, pp. 178 sq. Ibīdem autem (pp. 203 sqq.) episcopi programma scholare fuse explicatur neque Norbertus Weber commemoratur, quamvis illud

#### 4.4.2. De libro, qui est «De cura hominum pro regno Dei»

Omnino aliud opus ac abbatis programma fundamentale est eius liber, cui titulus est «*De cura hominum pro regno Dei*»<sup>82</sup> et qui primā vice anno 1913<sup>o</sup> in lucem editus est.<sup>83</sup> Aliud autem hōc opus est variis ex causis. Nam unā ex parte non solum spissius est, sed etiam ab initio non tantum ad monachos Ottilianos directum erat, sed ut liber ad quam plurimos homines perveniret, abbati in animo erat. Itaque alterā ex parte scopus operis generaliter magis erat in eo, ut in lectoribus lectricebusque fervor missionarius incitaretur, ut labores missionarios sustentarent.<sup>84</sup> Opus vero conscribere coeperat abbas, postquam ex itinere, quod eum primā vice in Coream duxerat, revertit.<sup>85</sup>

Compositus autem est hic liber modo magis narrativo, quo Norbertus Weber genere scribendi aliquatenus emphatico lectoremque alliciente utebatur.<sup>86</sup> Inter narrationes atque meditationes longas, quae tamen cum themate quōque cohaerent, Norbertus Weber varios aspectūs practicos tractat, qui singuli diversis libri locis iterum iterumque suscepti exhibentur, explicantur, disputantur.

Scilicet magni momenti abbati erat explicare, cur missio Christiana omnino fieri deberet. Est enim - uti scripsit - generale mandatum Dei, ut totus orbis

---

programma cum abbatis propositis, quae in capitulis 9 et 10 libelli exhibuit, bene congruat. - De hac re *cf.* etiam Philipp Neri MAUCHER (1988), p. 41. - Ceterum Frumentius RENNER: Norbert Weber (1976), p. 337 et Frumentius RENNER: Entfaltung. *In*: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 14 scripsit libello abbatis exhibito totam regionem missionariam scholis subductam esse et hac in re Thomam Spreiter indicia abbatis secutum esse. Res ipsae certe ita se habebant, quamvis dubitem, num Thomas Spreiter aperte atque explicite dixerit se tales ideas ab Norberto Weber assumpsisse.

<sup>82</sup> «Menschensorge für Gottesreich».


<sup>83</sup> Aliter ac scriptum programmaticum, quod est «*Euntes in mundum universum*», hic liber compluries reimpressus est. - *Cf.* Frumentius RENNER: Entfaltung. *In*: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 15 adn. 17; Frumentius RENNER: Norbert Weber (1976), p. 339 commemorat hōc opus quinquies editum esse. - Ceterum in hōc opus aliis in investigationibus non inquiritur.

<sup>84</sup> Sic rem etiam in libri prooemio explicuit Norbertus WEBER: Menschensorge für Gottesreich. Freiburg/Br. 1913, p. III.

<sup>85</sup> De abbatis primo itinere Coreano (secundoque Africano) *cf.* infra cap. 4.5.2.

<sup>86</sup> Quamvis tale genus scribendi non omni ex parte sit nostrum hodiernum, tamen auctoris bonus impetus internus animadvertitur et bene intellegitur, cur lectores lectricesque illo tempore attracti sint hōc textū. Percipitur enim Norberti Weber optima facultas scribendi.

terrarum fide Christianā ditetur. Cum autem civitatibus Europaeis decursū historiae fides Christiana iam tradita sit et eadem emolumentis cultūs civilis Christiani iam pridem fructi sint, earum officium est, ut ea, quae acceperant,



*Abbas Norbertus Weber  
circiter quadraginta annos natus.  
[Cyrill SCHÄFER (2005), p. 206.]*

aliis quōque desiderantibus largiantur. Nam omnes populi bene merentur, ut hac caritate Christianā afficiantur, et necessitas exstat, ut populi pagani ab inscientiā suā liberentur.<sup>87</sup> Itaque officium, quod Deus ab hominibus postulat, explendum est et animi convertendi sunt ad missionem. Nam opus a Christo confectum quidem est, sed idem nondum est ad finem perductum, cum vox salvationis nondum in omnes angulos orbis terrarum pervenerit. Et hōc Deo non nullius momenti esse potest, utrum consilium suum totius mundi salvandi ad effectum adducatur an non, quā de causā ipsi etiam non est nullius momenti, quomodo homines erga hōc postulatum se gerant. Christus ergo fundamentum posuit, nunc in hominibus Christianis est, ut aedificationem continuent.<sup>88</sup>

Cum res ita se habeant, Norbertus Weber conclusionem sibi omnino claram inde trahit. Nam unusquisque, quantum valet, rei missionariae aliquo modo se adiungere, eam sustentare eamque promovere debet. Cum enim Germani Europaeique condicionibus bene stabilitis, etiam quod Christianitatem attinet, vivant, manibus apertis atque animis benignis largiter aliis dent oportet. Nam non est timendum, ne ipsi pauperes fiant, cum ex abundantia suā (quae non solum est pecuniaria) aliis aliquid attribuant. Nam omnibus intellegendum est sibi omnia, quae hereditate culturali Christianāque acceperunt, tamquam debitum danda esse aliis, qui talia nondum habent.<sup>89</sup> Itaque officium

---

<sup>87</sup> Cfr Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), ex. gr. pp. 56, 59, 71, 74, 82, 90 sq., 226, 229.

<sup>88</sup> Cfr Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), ex. gr. pp. 68, 69 sq., 71, 72.

<sup>89</sup> Hōc in conexū Norbertus Weber (*Menschensorge* (1913), p. 58) sententiam ex Sacra Scriptura depromptam (locum non indicans) affert, qui est: «*gratis accepistis, gratis*

exstat, quo Europaei nationibus paganis atque populis naturalibus debita solvant.<sup>90</sup>

Quamvis missio Christiana secundum opinionem Norberti Weber sit omnino necessaria et etiam frugifera, tamen - ut scribit - voces quōque criticae audiuntur. Nam unā ex parte sunt, qui dicant nigritas paganos arcana profunda Christianitatis numquam capere valere. Iis autem abbas multis exemplis contrariis adhibitis vehementer contradicit praeterea affirmans, num nigritae Christianitatem revera recipiant, decursū historiae decretum iri.<sup>91</sup> Alterā ex parte sunt, qui arrogantiam phylethicā se iactent. Talis vero habitus mentalis Norberto Weber est odio, cum putet arrogantiam phylethicam esse superbiam omnium generum stultissimam, quia ad eandem exhibendam nullae qualitates facultatesque propriae, sed nihil aliud necessarium sit ac nasci.<sup>92</sup> Insuper ab contemptione phylethicā ad odium phylethicum solum esse parvum gressum - ut ait abbas - et non esse mirandum, quod multi talem gressum iam fecerunt. Tales autem homines nigritas percipiunt ut genus quoddam bestiae superioris, quo abuti liceat, quā de causā etiam de missione Christianā solum ironice riderent. Contra huiusmodi perceptionem abbas vehementer se vertit.

Variis autem modis res missionaria sustentari atque promoveri potest, ut Norbertus Weber scribit. Scilicet hōc pecuniā atque rebus materialibus fieri potest, qui modus non est nullius momenti.<sup>93</sup> Tamen etiam exstat praeterea alius modus magni ponderis, nempe preces, quae sunt magnum auxilium in opere missionario efficiendo.<sup>94</sup>

---

*date» (cfr Matth. 10,8). - Ceterum paginā 228 critice adnotat nonnullos repraesentantes patriae interdum paucissimum, quin etiam nihil huius hereditatis Christianae spiritūsque Christiani monstrare.*

<sup>90</sup> De hōc conexū *cfr* Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), ex. gr. pp. 58, 71, 84, 93, 111, 126.

<sup>91</sup> *Cfr* Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), pp. 95 sqq., 172.

<sup>92</sup> *Cfr* Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), pp. 59 sq. - Hōc loco abbas sententiam Arthuri Schopenhauer sequitur. (*Cfr* Arthur SCHOPENHAUER: *Parerga und Paralipomena*. I, p. 383. [Sämtliche Werke. V. Wiesbaden 1946]).

<sup>93</sup> *Cfr* Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), pp. 231 sqq. - Scribit autem abbas hōc in conexū Germanos quidem multam pecuniam pro missione donare, tamen hae summae esse quasi nihil, cum comparentur cum detrimentis pecuniae, valetudinis visque operandi, quae alcohole efficiantur.

<sup>94</sup> *Cfr* Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), pp. 106 sq. - *Cfr* etiam p. 239, quā legitur maius pretium quam in pecuniā inesse in utilitate studioque missionario propagandis atque in muneribus missionariis excitandis.

Tamen maximi momenti sunt illi homines, qui in opere missionario atque in regione missionariā ipsi cooperari volunt. Plurimi autem homines huiusmodi sunt necessarii atque quaeruntur, qui impetum internum ad hōc opus sentiunt vocationemque percipiunt. Quamvis Norbertus Weber verbis suis homines attrahere voluisset, qui missionarii fierent, tamen condiciones operandi sobrie exhibuit, et quae ab missionariis postulantur, aperte protulit. Nam distincte se vertit contra opinionem, quā putatur vitam missionariam esse romanticam. Demonstrat vero abbas talem vitam esse duram, laboriosissimam periculosamque, quā saepissime effectūs laborum non celeriter conspiciuntur. Impetus quidem internus necessarius est, qui tamen non sufficit. Idem laboribus fideque probari debet. Itaque missionarii futuri iam in missionario monasterio patrio praeparandi et ad munus suum exanclandum erudiendi sunt. Homines desidiosi commoditatem quaerentes gloriamque petentes non sunt utiles atque brevi tempore aufugere solent. Missionarii autem veri non solum in Domino sunt stabiliti, sed etiam labores durissimos iterum iterumque suscipiunt et pro scopo suo maiore etiam mori parati sunt.<sup>95</sup> Etiam si mundus effectūs splendoros celeriter videre desiderat, tamen labores missionarii sunt labores minimorum gressuum, hōc significat multum operari, patientiam magnam adhibere, vitam curarum, virium contentionis dolorumque plenam degere. Est vita, quae caritate erga alios consumitur, sed effectum ultimum laborum Deo relinquit.<sup>96</sup> Tali autem descriptione Norbertus Weber realitatem monstravit neque lectoribus letricibusque fumum aspergit imaginem fictam exhibens. Nihilominus eius proprius fervor rei missionariae semper animadvertitur.

Sed praeter tales deliberationes magis generales Norbertus Weber etiam de ipsis operibus missionariis eorumque scopis rettulit. Nam malae condiciones sociales, quae ubique in regionibus paganis inveniuntur, atque desideria ecclesiae meliorationem culturalem oeconomicamque illorum populorum expostulant. Itaque missionarii non solum catechesim curant, sed in initio imprimis in condiciones miserrimas meliorandas, in aegrotos curandos, in scholas instituendas, in condiciones familiares mutandas, in statum socialem

---

<sup>95</sup> *Cfr* Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), pp. 280 sq., ubi explicat inter Ottilianos missionarios vitā functos esse septuaginta quinque centesimas monachorum, qui annum tricesimum quintum nondum expleverant.

<sup>96</sup> *Cfr* Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), pp. 97, 99, 213 sqq., 215, 216 sq.



meliorandum incumbunt.<sup>97</sup> Quae res sunt omnino necessariae, cum in regionibus missionariis agatur de quaestione, quā eligendum est inter fidem et paganismum novum, inter cultum civilem Christianum et condicionem, quā regio missionaria fit obiectum - sive obsequens sive refragans - exspoliationis oeconomicae, inter libertatem librorum Dei et servitutem modernam.<sup>98</sup> His adnotationibus criticis, quibus abbas discrimen valens clare reddere conatur, eius perceptio rerum vere exprimitur. Cum autem fames corporalis sedata sit, fames animae apparet, quā de causā illi labores praevii bonum fundamentum Christianitatis ponunt.

Itaque etiam indigentiae missionariorum augentur, cum multa officia huiusmodi explenda sint atque missionariis necessitates sociales populi curandae sint. Norbertus Weber hōc in conexū explicat, ad quales res faciendas missionarii Ottiliani pecuniam, quam accipiunt, erogent. Praeter multa alia imprimis nominavit varias expensas, quae ad scholas atque institutionem liberorum pertinent. Schola autem abbati est maximi ponderis in opere missionario, cum liberi, qui bene instructi atque Christiani scholam relinquunt, multum attribuunt ad familias Christianas condendas et sic societatem suam humanam profunde mutandam.<sup>99</sup>

Norbertus Weber sibi quidem bene conscius est - id quod etiam communicare conatur - opera missionaria lente, quin etiam interdum lentissime progredi et effectūs non semper statim conspici posse. Praeterea nonnumquam etiam repulsae graves accipiuntur atque sustinendae sunt. De iis licet quidem tristis esse atque queri, tamen non in sempiternum, cum deinde de reconstructione rei cogitandum sit. Nam omne bonum, quod iam factum est, numquam prorsus destruitur et numquam frustra factum est.<sup>100</sup>

---

<sup>97</sup> *Cfr* Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), pp. 150 sqq., 181, 186. - De his quaestionibus *cfr* etiam Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), passim.

<sup>98</sup> *Cfr* Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), p. 107. - Praeter alia critice atque sollicitate Norbertus Weber sententiam profert de modo, quo in coloniā Africanā operarii indigenae ad labores acquiruntur et qui non solum est ut morbus cancri in ipso populo, sed etiam ut aliud genus servitutis (p. 220). Refert autem hōc locō de experiētiis, quas anno 1912<sup>o</sup> in Africano itinere visitationis fecit.

<sup>99</sup> *Cfr* Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), pp. 236 sq., 256 sq. - Momentum vero, quod Norbertus Weber scholae attribuit, iam apparet in eius scripto programmatico (*cfr* Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 63 sqq.).

<sup>100</sup> *Cfr* Norbert WEBER: *Menschensorge* (1913), p. 210. - Abbas hōc in conexū imprimis cogitat de detrimentis magnis, quibus missio inter seditionem anni 1905<sup>i</sup> affecta est. Sed hunc in modum etiam illis obloqui conatur, qui interrogant, cur opera danda sit rei

Non autem est mirandum, quod hic liber, qui est realitatis plenus et tamen spem atque fervorem impetumque auctoris verbis exprimit, tam bonum effectum apud lectores lectricesque illius temporis habuit.

#### 4.4.3. De nonnullis orationibus scriptisque minoribus

Praeter illa opera modo tractata Norbertus Weber plures lucubrationes ad rem missionariam spectantes exaraverat atque etiam in conventibus missionariis aliisque occasionibus saepe orationes habuit.<sup>101</sup> His rebus publice praeconia pro missione Christianā exhibuit. Videtur autem idem et ut abbas atque superior generalis Congregationis missionariae et propter facultates suas libenter ad talia facienda accitus esse. Orationes autem divulgatae quoque atque interdum compluries reimpressae sunt. Ad conspectum compleendum hōc in conexū in quosdam ex illis textibus breviter incumbere volumus.

Primo nominanda est oratio, quam Norbertus Weber anno 1910<sup>o</sup> inter coloniale conventum Germanicum Berolini habuit. Huic relationi titulus erat «*De scopis viisque educationis indigenarum*».<sup>102</sup> Hac in relatione Norbertus Weber varios aspectūs educationis tractavit, postquam in initio constituit necessarium esse, ut indigenae in emolumentum proprium ad vitam cultūs civilis superioris educarentur. Tamen distinxit<sup>103</sup> unā ex parte inter civilizationem externam, quae sola non sufficeret, cum esset coniuncta cum variis periculis superficialitatis, quibus Europaei et imprimis negotiatores in detrimentum indigenarum abuterentur, et alterā ex parte cultum civilem internum, quo totus homo tangeretur atque eius mores modusque cogitandi mutarentur.<sup>104</sup>

Talis vero educatio ad cultum civilem initium sumere debet - ut aiebat Nor-

---

missionariae, cum tam celeriter omnia destrui possint.

<sup>101</sup> Hos textūs, tamen non singillatim, commemorat Frumentius RENNER: Norbert Weber (1976), p. 338; Frumentius RENNER: Entfaltung: *In*: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 15 adn. 17. - *Cfr* etiam Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 213 sqq., ubi index operum Norberti Weber exhibetur.

<sup>102</sup> Norbert WEBER: Ziele und Wege der Eingeborenen-Erziehung. *In*: Verhandlungen des Deutschen Kolonialkongresses 1910 zu Berlin am 6., 7. und 8. Oktober 1910. Berlin 1910, pp. 673 sqq. - Ut ex indiciis apparet, haec relatio die 7<sup>o</sup> m. Oct. a. 1910<sup>o</sup> facta est.

<sup>103</sup> De distinctione atque differentiam inter cultum civilem atque civilizationem et de quaestione, quando, quomodo atque quibus ex causis haec distinctio fieri coepta sit, *cfr* Norbert ELIAS: Über den Prozeß der Zivilisation. Soziogenetische und psychogenetische Untersuchungen. I. Frankfurt/M 1988, pp. 1 sqq.

<sup>104</sup> *Cfr* Norbert WEBER: Ziele und Wege (1910), pp. 674 sq.

bertus Weber - ab educatione laborandi.<sup>105</sup> Tamen expressis verbis dixit, quid hic terminus sibi vellet et quid omnino non. Nam explicite protulit postulatū, quo dicitur nigritas ad labores educandos esse, non significare «eos esse educandos, ut labores pro nobis (sc. Europaeis) exanclarent»,<sup>106</sup> sed e contrario systematicā introductione atque institutione laborandi, ad quam imprimis missionarii ipsi laboribus suis exemplum praeberent, decursū temporis prosperitas ipsorum indigenarum augeretur, quā acquisitā tota vita eorum melioraretur. Etiam hōc in conexū propositum suum praedilectum iterum praebuit, quo in exercitatione laborandi incohandum esset in agriculturā excolendā.<sup>107</sup>

Praeterea hac in oratione Norbertus Weber accentum magni momenti, sicuti iam in scripto suo programmatico, posuit in scholam, cum mentalis eruditio iuventutis ei maxime cordi esset.<sup>108</sup> Agebatur ei tamen imprimis de scholis elementariis, quibus etiam facultates practicae traderentur, quae ad ispanam vitam futuram spectarent.<sup>109</sup> Nihilominus ad has res scilicet accedere debere - ut aiebat - educationem religiosam, sine quā, cum qualitates morales civilesque eādem fundarentur, omnia reliqua in irritum caderent.<sup>110</sup> De hōc programme educationis Norbertus Weber in fine orationis dixit haec: «*Hanc educationem existimo esse Magnam chartam libertatis, quam indigenis nostris dare debemus.*»<sup>111</sup>

Similia autem argumenta ac in oratione modo allatā atque in scripto suo programmatico Norbertus Weber magnā ex parte etiam in plerisque reliquis

---

<sup>105</sup> Cfr Norbert WEBER: Ziele und Wege (1910), pp. 675 sq. - Similiter iam Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 16 sqq., 30 sqq.

<sup>106</sup> Anton MARKMILLER (1994), p. 130 ad hanc orationem referens Norberto Weber quōque et sic toti missioni catholicae opprobrio dat eum sicut repraesentantes coloniae atque colonos ipsos tantummodo utilitatem Europaeorum atque abusum indigenarum in animo habuisse. Videtur autem Antonius Markmiller pro dolor totum textum abbatis non legisse.

<sup>107</sup> Cfr Norbert WEBER: Ziele und Wege (1910), p. 676. - Eadem argumenta, sed fusius profert Norbertus WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 28 sqq.

<sup>108</sup> Cfr Norbert WEBER: Ziele und Wege (1910), pp. 678 sqq. - Cfr Norbert WEBER: «Euntes ...» (1908), pp. 63 sqq.

<sup>109</sup> Hōc in conexū iterum tetigit quaestionem linguarum.

<sup>110</sup> Cfr Norbert WEBER: Ziele und Wege (1910), p. 680. - Ceterum argumentis suis etiam condicionem mulierum atque vitam familiae tangit (p. 682).

<sup>111</sup> Cfr Norbert WEBER: Ziele und Wege (1910), p. 683. - Textus originaliter Theodiscus.

scriptis minoribus profert.<sup>112</sup> Ibīdem vero interdum, cum occasio hōc postulat, abbas etiam magnum momentum explicuit, quod missio Christiana temporibus vigentibus haberet et quam bonae possibilitates ex tali occasione praeberentur.

Tamen alius textus quidem paulo diligentius inspiciendus est, cum putem ibīdem argumenta scitū digna exhiberi. Agitur enim de lucubratione Norberti Weber, cui titulus est «*De missione deque re politica*».<sup>113</sup> Hic textus conscriptus est anno 1919<sup>o</sup> et ex experiētiis primi belli mundani, quibus etiam missionarii affecti erant,<sup>114</sup> conclusiones trahuntur.

Agitur autem de quaestione, quae relatio exstet inter missionem sive missionarios atque politicam. Abbas in initio symbolae asseveravit cohaerentiam quandam exstare, cum munus missionarium in eo constaret, ut eōdem regnum Christi quam latissime extenderetur, quā de causā ex hac ipsā naturā suā missio Christiana cum rebus politicis contactum haberet, quia regnum, pro quo missionarii certarent, non esset quidem *de* hōc mundo, sed *in* hōc mundo.<sup>115</sup> Itaque missionarius originem suam nationalem non omnino negare potest, ut abbas scripsit, cum īdem subsidia auxiliaque ex patriā acciperet. Tamen Norbertus Weber fortiter affirmavit cooperationem directam positivamque ad scopos politicos fovendos, etiamsi régime talia vellet, numquam licere esse atque fieri officium, quod missionarius susciperet.<sup>116</sup> Nam missionarium esse pastorem animarum, qui ab ecclesiā esset missus. Distinxit deinde Norbertus Weber regiones, in quibus missionarius operaretur, id est inter civitates autonomas, colonias aliarum nationum atque colonias propriae

---

<sup>112</sup> *Cfr* ex. gr. Norbert WEBER: Lage der Heidenmission. St. Ottilien 1910, <sup>2</sup>1916 (agitur de oratione, quam Norbertus Weber anno 1910<sup>o</sup> Augustae Vindelicum «die catholicorum», qui dicitur, habuit. Īdem textus etiam divulgatus est in periodico, q.e. Missionsblätter 15, 1910/11, pp. 1 sqq.); Norbert WEBER: Soziale und religiöse Bedeutung der Heidenmission. St. Ottilien 1913, <sup>2</sup>1914 (oratio festiva Monaci habita); Norbert WEBER: Ein Zeichen der Zeit. St. Ottilien, 1914, <sup>2</sup>1916 (oratio missionaria anno 1913<sup>o</sup> Camboduni habita).

<sup>113</sup> Norbert WEBER: Mission und Politik unter besonderer Berücksichtigung der gegenwärtigen Lage der deutschen Missionen. *In*: Friedrich SCHWAGER (ed.): Der Düsseldorfer Missionskurs für Missionare und Ordenspriester 7.-14. Oktober 1919. Aachen 1920, pp. 142 sqq.

<sup>114</sup> De eventibus inter primum bellum mundanum et post ĩdem, qui cum monasterio Ottiliensi atque cum regione missionariā cohaerent, *cfr* infra.

<sup>115</sup> *Cfr* Norbert WEBER: Mission und Politik (1920), p. 143.

<sup>116</sup> *Cfr* Norbert WEBER: Mission und Politik (1920), p. 144.

patriae, unde missionarius exoriendus esset. Omni autem in casū, cum ageretur de actionibus politicis, missionario maximam cautionem adhibendam esse - etiamsi variis modis atque gradibus -, ne in dissensiones scoporum politicorum traheretur. Talia solum missioni esse detrimento.<sup>117</sup> Nam hunc in modum missio Christiana libertatem suam amittere atque ancillam rei politicae fieri, quo modo omni vi suā privaretur. Itaque etiam distincta praecepta ecclesiae exstare, quibus missionariis et negotiatio actiones politicae omnino vetarentur.<sup>118</sup>

Sed tota condicio etiam sub alio aspectū deliberanda est. Nam Norbertus Weber rettulit ecclesiam catholicam sensū quodam aliquatenus quidem esse nationalem, cum radices ageret in aliquo populo, muneribus culturalibus fungeretur, indigentias populi curaret et multa similia. Etiamsi talia facit, semper libera manet.<sup>119</sup> Sed abbas praeterea asseveravit ecclesiam catholicam et unā cum ipsā etiam missionem Christianam multo magis esse internationalem, cum ex ipso mandato Christi in totum orbem terrarum mitteretur neque ullis terminis civitatum retineretur.<sup>120</sup> Perniciosum autem principium nationalismi populos interea cepisse atque conamina fieri, quibus talis nationalismus etiam ad res religiosas extenderetur. Tamen talibus conaminibus resistendum esse, ne liberi eiusdem fidei eiusdemque ecclesiae discerperentur atque fratres invicem inimici fierent. Etiamsi missionario fortasse difficile esset illum aspectum internationalem sequi, tamen propter ipsum officium missionarium eiusque scopum hōc omnino necessarium esse.<sup>121</sup> Sequitur autem ex hac perceptione internationali, ut missionarius omnes cogitationes nationales abiciat atque omnia desideria politica supprimat.

Ex his omnibus deliberationibus Norbertus Weber quaedam postulata protu-

---

<sup>117</sup> Cfr Norbert WEBER: Mission und Politik (1920), p. 146. - Hanc distinctionem iam exhibet Friedrich SCHWAGER: Katholische Missionstätigkeit und nationale Propaganda. In: Zeitschrift für Missionswissenschaft 6, 1916, pp. 115 sqq., qui tamen rem aliquatenus fusius explicat.

<sup>118</sup> Cfr Norbert WEBER: Mission und Politik (1920), p. 147. - Hic Norbertus Weber sequitur symbolam Francisci SCHWAGER: Katholische Missionstätigkeit (1916), pp. 114 sqq., qui praeter alia ex decretis Vaticanis affert haec: «*monendum est atque inculcandum, ne missionarii inter diversarum gentium regimina versantes saecularibus atque politicis se negotiis immisceant*» et «*abhorrendum esse ab omni immixtione in rebus politicis negotiisque Status*» (*ibid.*, p. 115). - Textus originaliter Latinus.

<sup>119</sup> Cfr Norbert WEBER: Mission und Politik (1920), p. 146.

<sup>120</sup> Cfr Norbert WEBER: Mission und Politik (1920), p. 150.

<sup>121</sup> Cfr Norbert WEBER: Mission und Politik (1920), pp. 151 sq.

lit. Nam scripsit, cum tota praedispositio missionaria ecclesiae catholicae esset internationalis, missionarium, qui cooperatur huius ecclesiae esset, ipsum fieri internationalem. Nam eius patriam esse hanc ecclesiam catholicam, cuius regnum ad totum orbem terrarum pertineret. Itaque abbas postulavit, ut tota missio ab spiritu internationali caperetur atque omnes missionarii omnium nationum coniungerentur, ita ut unanimiter tamquam apostoli unius eiusdemque ecclesiae apparerent.<sup>122</sup>

Sed abbas etiam proximum gressum fecit. Dixit enim missionario generaliter nullum problema se gerendi esse, cum in civitate aliena operaretur. Nam eius fidem fundari in perceptione supranaturali huius ordinis naturalis. Hunc in modum missionarius et ex angusta ratione nationali et ex lata ratione internationali evehi atque eius statum fieri talem, qualis esse deberet, nempe supranationalem.<sup>123</sup> Argumenta autem priora aliquatenus iterans Norbertus Weber denique affirmavit maximam curam missionarii esse curam animarum, qua de causa missionis nullo modo interesset se ancillam negotiationis avarae fieri neque se prave adhiberi ad politica desideria expugnationis promovenda. Nam missionem numquam oblivisci licere sibi agi de valoribus aeternis. Itaque - ut aiebat abbas - missio Christiana illum statum supranationalem tenere debet.<sup>124</sup>

Argumentis atque conclusionibus, quas Norbertus Weber hic protulit, idem denuo tempus suum praecessit. Deliberationes autem de condicione internationali atque supranationali non sunt nullius momenti et etiam ad alios conexus extendi possunt.

Scriptis vero suis atque orationibus missionariis Norbertus Weber multum attribuisse videtur ad entusiasmum, qui illo tempore in Germaniam, quod attinet ad missionem Christianam, vigeat et dicitur fuisse hac in re orator princeps magnum effectum exserens. Quaedam argumenta quidem saepius inveniuntur, sed sic iisdem persuasionem abbatis revera exprimi apparet. Unam cum libello programmatico, quod est «*Euntes in mundum universum*», atque libro, cui titulus est «*De cura hominum deque regno Dei*», methodus missionaria Norberti Weber eiusque perceptiones fundamentales hac in re bene cognoscuntur.

VOX LATINA 189, 2012, pp. 317-346

SIGRIDES ALBERT

---

<sup>122</sup> Cfr Norbert WEBER: *Mission und Politik* (1920), p. 153.

<sup>123</sup> Cfr Norbert WEBER: *Mission und Politik* (1920), p. 154.

<sup>124</sup> Cfr Norbert WEBER: *Mission und Politik* (1920), pp. 157 sq.